



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. De homicidio contingente in bello, & irregularitate ex eo
proveniente.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. IV.

*De homicidio contingente in bello,
& irregularitate ex eo proveniente.*

Qui in bello injusto pugnantibus cooperantur, qualescunque auxiliū ferendo, arma præbendo, adhortando eos ad pugnam, sarcinas militum custodiendo &c. sunt irregulares, si vel unicus occidatur, & ipsi proprijs manibus non pugnaverint *can. Si quis. 4. dist. 51. c. sicut dignum 6. §. final. b. r. & c. Quod in dubijs §. juncta glossa v. incitant. de pœnis.* Cùm omnes ista velut una causa moralis, ad occisionem occisi concurrant. Qui vero laici in bello justo pugnant, aut taliter pugnantibus cooperantur, si bellum merè defensivum sit, ad patriam suam, suam, suorumque vitam, & magni momenti bona, defendenda &c. non incurrunt irregularitatem, quamvis plures occidant, cùm ob necessariam defensionem hæc talia fiant, quæ si privatis personis licita est, etiam cum occisione injusti invasoris, modò moderamen inculpatæ tutelæ non excedatur, ut dictum, longè magis erit talis necessaria defensio licita contra injustum aggressorem, si publicâ auctoritate fiat. Dixi Laicis hinc non imminere periculum irregularitatis, de Clericis enim dubitatur, si propriâ manu occiderint alios, etiam justæ defensionis causâ, propter *c. Petrus 24. h. r.* ubi dicitur, ut si de interfectione cujusquam in illo conflictu, defendendæ patriæ causâ, suscepto, conscientia illum remordeat, ab altaris ministerio (ut irregularis) abstineat, cùm in hujusmodi

dubio, ut ait Pontifex, consilia abstinere, quàm temerè celebrare, quamvis enim in tali bello, alio ad pugnam hortari possint, tamen in propria persona pugnare non possunt, nisi plura jura *causa 23. q. 1. ult.* exceptio necessitate omnio inevitabili. Si tamen bellum sit justum quidem, sed tamen offensivum, sive aggressivum, irregulares sunt, ex defectu perfectæ iustitatis, qui proprijs manibus alios interficiunt, ut probatur ex *Can. si quis 4. juncta Gloss. v. militaverit. dist. 11.* qui sunt quasi Ministri justitiæ, & quamvis dent operam rei licite, sine tamen proxima causa homicidiorum talium, qualis proxima causa non sunt adhortantes tantùm ad bellum tale, aut alio modo, sine occisione tamen aliorum cooperantes.

SECTIO V.

De Mutilatione, & dispensatione in prædictis de irregularitatibus.

§. I.

Quid sit mutilatio, & quæ irregularitas ex ea contrahatur?

Mutilatio propriè dicta, non est vulnere, aut sanguinis effusio, vel partis alicujus abscissio, sicut v. g. cartilaginis auricularum, &c. sed amputatio membri alicujus, ita tamen, ut membri nomine, in ordine ad hunc finem, intelligatur pars humani corporis, quæ propriam functionem sive distinctum ab alijs membris officio